









1783.

1. Fridericus Fridericus Augustus: Ord. iuridicas . . . Decanus:  
Lectori generali salutem (et) populacionem in any. Prodi. Grotius.  
Oberkampfii iunctis)
2. Hommelius Christianus Gottlieb: De personis quibus beneficium  
Competentia Tongauden
3. Hommelius Christianus Gottlieb: Epitome iuris ecclesiastici
4. Kluyzel, Ernst Gottfried Christian: Theses iuris variae.
5. Kluyzel, Ernst Gottfried Christian: De senatus consulta  
6. <sup>at</sup> Ulysses de intercessione non licet.
6. Leonhardi, Joannes Gottfried: De medicina . . . Decanus: paucissim  
medicam . . . recte agnoscere De nosocomum minoratione  
et vegetalitione insipi ratione virion medicamentum Dispon-  
misse praeiorum etern.
7. Leonhardi, Joannes Gottfried: De chemicorum instrumentis mode-  
rnis errorum et dorsum fontibus.
8. Peals, Martinus Gottlieb: Ord. iuridicas . . . Decanus: Pei-  
tovi hercules o. p. d. (et) populacionem in any. Joannis  
Samuelis Skrypij iunctis)

9. Pauli; Martinus Gottlieb: Ord. iuris ei... De causis:  
Pecunia benevoli a p. d. f. ad corporaliorum iuris -  
alem Cenzi Benjamin. Abalatti instat.

10. Pauli; Martinus Gottlieb: De jure probacionis seruacionis  
domini recte tam iam saepe Saxonicis Recensioni, quam  
Lusitiae superioris, et alienatione factorum inter eis  
completa.

11. Triller, Carolus Fridericus: De quibusdam iuriis nichilatis  
capitibus.

12. Niemandius, Georgius Stephanus: De expectantioris fidei libas  
1787.

1. Gislerus, Carolus Henricus: De analogia iuriis publicis

2. Kneipel, Ernst Gottlieb Christianus: Notae iuriis Saxonicis omniatis

28 pp. m. a.  
Münzberger

3. Reinhard, Panorum Vulgarum: Utram Christus malorum genitumque suum dissimilaverint et despolet.

4. Reinhard, Joannes Carolus Gottlieb: Dissertatio iur. quo  
observations quaedam ex jure commerciorum deponitiae

proportiones

3. Möckius, Carolus Augustus Christianus: De servitio rebus  
sine studio sine incuria res nulli fundo contractae  
in hujus emitorum transiente

6. Wiesau, Georgius Stephanus: Ord. juridic. ... Pro. Decan.  
nus: lectori bencoslo salutem (ad Republikationem in ang.  
Carolus Augustus Christianus Möckii iurist.)

7. Wiesau, Georgius Stephanus, Ord. juridic. ... Pro. Decanus:  
lectori bencoslo salutem (ad Republikationem in ang. Christiani  
Georgii Möckii iurist.)

8. Wiesau, Georgius Stephanus: De immunitationibus aquarum  
variae pars sententiae

1785.

1. Hößmann, Christian Gottfried: De traditione metallorum  
universitatis.

2. Klugel, Gottlob Christianus: Ord. juridic. ... Pro. Decanus.  
sectori bencoslo salutem (ad Republikationem in ang. Christiani  
Friederici Möckii iurist.) Tract de commercio frumentis  
cum rectagallium causa.

3. Kuegel, Ernst Joseph Christianus: Variæ juris  
Inventiae
4. Kuegel, Ernst Joseph Christianus: De patria potestis  
civis vel generis electionem filiorum.
5. Schmid, Carolus Ferdinandus: De canticione jure naturae  
nulla.
6. Trillerus, Carolus Fridericus: Dissertationis juris anti-Taricis  
prosecutio Saxonie capita poliorum sistens.
7. Triller, Carolus Fridericus: De iuriis furtores generibus,  
prosecutio de furto inveniacionis
8. Wilisch, Christianus Fridericus: De jure collectandi in horri-  
toris Germaniae.

7  
1783  
6b

FACVL TATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

DECANVS  
IOHANNES GOTTFRIED  
LEONHARDI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR PATHOL. ET CHI.  
RVRG. PROFESS. PVBL. ORDINAR. SOCIET. OECON.  
LIPSIENS. SODAL.

PANEGYRIN MEDICAM

AD XIII. MENS. OCTOBRIS A. CLOCCCLXXXIII.

HABENDAM

INDICIT

A DIVNCTA

DE ACIDORVM MINERALIVM ET VEGETABILIVM INSIGNI  
RATIONE VIRIVM MEDICATARVM DISCRIMINE

PROLVSIONE ALTERA.

LEONARDI MEDICAR  
IN ACADEMIA ALTEBRUNESI

DECVINA  
JOHANNES GOTTEREID  
FEBRONIADI

LUDVICO GÖTTNER ET MEDICINA DOCTORIATONI ET CIR-  
CUMSTANTIAE ORDINIS SOCIETATIS SOCIO

PANTHEON MEDICAR

AD M.DLXXXV. QUINTO ANNO

MAURICII

INCIPIT

LIBERUS

EX AGDORI M. VIVENTI ET ALCHEMISTICO DISCERNENDO  
KALIGM. ANTHONY MEDICATRVM DISCRIMINIS

PROLATIONE MATERIA



**Q**uum nuperrime acidorum mineralium atque vegetabilium usum in medicina promiscuum reprehendere instituisse, id vnicce ante omnia a me agendum esse existimauit, vt qualiacunque chemica, quibus ad eundem vel excusandum vel adeo defendendum aduersariorum callidas abuti posset, argumenta tum a communi omnium aciderum ex vniuersali quodam acore origine, tum a vegetabilium acorum maxima cum mineralibus vel omnibus vel quibusdam similitudine petita infirmarem et refellerem, vtque allato vtrorumque acidorum discrimine praecipuo, quod in oleoso principio vegetabilibus intimius innato, mineralibus vero alieno positum est, ostenderem, nullis adhuc licuisse laboribus chemicis ista quidem adeo familiari et irrupta copula iungere oleosis, vt vegetabilia prorsus aemularentur; possemque adeo adiungere neque in remouendo elemento vegetabilium acidorum oleoso occupatos chemicos eo successu operatos esse, vt acida mineralibus gemina producerent; si quidem acidum illud sacchari, quod acoris nitrosi fortissimi opere ex saccharo euoluitur et ab adhaerentibus partibus oleosis summo studio depuratur, nihil tamen minus ad summum

puritatis gradum euctum etiamnum, testante forma solida et crystallina, phlogistici quam plurimum retineat <sup>a)</sup> itemque acetum, quounque modo concentratum salisque lixiuiosi hospitio exceptum, salem medium praebeat, qui inter vrendum etiamnum nigrescit. At enim vero satis de his rebus dispusasse mihi visus, iam ad reliqua, quorum afferendorum fidem dedi, veniendum atque adeo ostendendum esse puto, utrumque acidorum effectus in varias corporis partes esse diversissimos et ne tunc quidem perinde esse, utrum horum exhibeas, quando viribus iisdem actura vtraque esse prima fronte videntur.

Ac primum quidem omnia acida humores corporis humani sanos et puros, quibus lymphaticae naturae latex admixtus est, veluti serum sanguinis <sup>b)</sup> tingentem placentae sanguineae partem <sup>c)</sup>, bilemque <sup>d)</sup> solent coagulare, mucum <sup>e)</sup> contra et fibrosam placentae sanguineae partem albam <sup>f)</sup> soluere; in cogendo tamen sanguine, cuius omnia tria elementa, serosum, tingens et fibrosum nimirum, copulata adhuc occurunt, et maiorem et citiorem et constantiorem efficaciam acores minerales habere, quam vegetables <sup>g)</sup>, adeo ut acetosis acidi tali sanguini admixti vis tam exigua et lenta, immo etiam

<sup>a)</sup> Vid. TORBERN BERGMANN de acido sachar. §. 26. in opusc. phys. chem. Vol. I. p. 275.

<sup>b)</sup> vid. CAROL. GUIL. POERNERI Exper. de alb. ouor. et ferri sanguinis conuen. Lips. 1754. 4. §. 9. p. 25. §. II. p. 28.

<sup>c)</sup> v. BVCQVET apud MACQVER. chem Wörterb. T. I. p. 354.

<sup>d)</sup> v. JAMES MACLVRG Experiments upon the human bile Lond. 1772. 8.

<sup>e)</sup> vid. ANDREAE RVDIGER, et CHRISTIAN. ADAMI GORN diff. med. de pituita §. II.

<sup>f)</sup> vid. BVCQVET ap. MACQVER I. c. p. 353. f.

<sup>g)</sup> v. ALE. DE HALLER Elem. physiol. C. H. Tom. II. Lib. V. Sect. II. §. 25.

3

iam tam leuis reperiatur, vt sanguinem non tam coegisse,  
quam potius fluidiorem reddidisse videretur<sup>b)</sup>, experimenta  
instituta comprobarunt. Expedit in huius rei fidem commen-  
morare euentum tentaminum a Cl. WESTENDORF<sup>i)</sup> in-  
stitutorum, quibus constitit sanguinem rubrum, a vitrioli  
spiritu fortiori confessim et a diluto post viginti quinque mi-  
nuta coactum fuisse, quem tamen acetum ipsius concentra-  
tum atque aqua dilutum (de fortissimo enim, vt pote quo me-  
dentes vix vnam vtuntur, differere nil attinet) per inte-  
grum semihorium fluidum relinqueret acetumque vni sim-  
plex euidenter per sedecim horas non fluidum modo conser-  
uaret sed fluidiorem adeo redderet, neque nisi post diem se-  
quialterum demum coagulari pateretur. Iisdem porro ex-  
perimentis compertum est, serum sanguinis a spiritu vitrioli-  
co intra horae minuta duo in coagulum tale conuersum fuisse,  
cui ab aqua solui nullo pacto liceret, ab aceto vero vni sim-  
plici plane non, a concentrato et diluto autem post horas de-  
mum quatuor, et a concentratissimo quidem post quinque iam  
horae minuta, sed in vtroque casu ita coactum fuisse, vt gru-  
mus hac ratione natus et ab aqua et a noua aceti fortissimi  
portione adfusa dissolui denuo posset. Solent quoque medici  
in fistulis sanguinis effluviis externis confugientes ad aceti  
acidum saepissime experiri, grumum cruris prima applica-  
tione natum, cum haemorrhagiae recrudescentia, repetito vsu

a 3

denuo

a) Sic adeo a spiritu aceti in venam iugularem externam incisam ope si-  
phonis immisso enecti canis molossi sanguinem fluidiorem vidit Io. H A-  
BRIAN. SPROEGEL; qui a spiritu fatis, omnium acorum mineralium  
debilissimo, etiam aqua, modo non nimia, diluto similiterque applicito  
sanguinem in venarum sytemate valde coactum reperit. v. Eivs diss.  
inaug. Experim. circa varia venena &c. Gotting. 1753. 4to p. 79-85.

i) Diss. inaug. de opt. acerum concentrat. eiusdemque naplth. confic. ra-  
tione. Gott. 1772. 4. p. 58. ff.

con-

denuo diffluere, et ad cruentem in fugillatis locis' discutendum posca sive acetum aqua dilutum et tepescatum aequa frequens atque efficax remedium habetur. Quae cum ita sint, recte omnino scripsisse intelligitur GERARDVS VAN SWIETEN<sup>k)</sup>: *acetum blande soluere coagulatum sanguinem; et alibi<sup>l)</sup>:* non omnia acida sanguinem coagulare; *vina enim acidula, acetum, succos acidorum maturorum fructuum, lac ebutyratum etc. potius eundem dissoluere, sed acida fossilia ex sale marino, nitro etc. parata sanguini inducere coagulum.* Maxime omnium vero aceto vindicat attenuandi virtutem HERMANNVS BOERHAAVIUS<sup>m)</sup>, qui vsu doctus affirmat, *acetum, maxime tepescatum, cruentem eiusdemque serum, cui immixtum fuit, diluere, non cogere, nec generare hac admixtione polypos, sed suauiter resoluere coagulata.* Atque hanc aceti in congrumato cruento liquefaciendo efficaciam agnoui ipse laetissimus, quum ex erosio vesicae vrinariae vasculis in ipsis cauum profusum sanguinem coagulatum, ischuriam pertinacissimam inducentem, dissoluendum consulerem iniectione ex aceto, aqua et melle temperato, tepida, faustissimo cum euentu. Ex omnibus vero haec tenus disputationis satis elucescit, acida vegetabilia non modo coagulata soluere, sed etiam, si quae coagula faciant ipsa, tam solubilia producere, vt facile rursus liquefiant; accedente in primis in corpore viuo vitalium organorum continua opera et biliosi serofisque calentis succi efficacia; vt proinde tamen potius vegetabilibus tribuas vim resolutoriam et saponaceam ab oleoso principio adiuncto profectam, quam condensantem; quum e

<sup>k)</sup> Comment. in H. BOERHAAVII aphorism. T. III. p. 572.

<sup>l)</sup> I. c. T. I. p. 177.

<sup>m)</sup> Elem. chem. Tom. II. Part. I. proc. L. no. 5. ed. Lipsi. 1732. 8. p. 185.

contrario acida mineralia, oleoso principio et virtute saponacea destituta et aquosi cupidiora et promptius et pertinacius cogant humores coactosque minus abstergant, quam potius condensent<sup>n)</sup>). Et quamvis ex BVCQVETI<sup>o)</sup> obseruatione, etiam acor nitri fortissimus sanguinis partem seroso lymphaticam ab ipso coagulatam facilime dissoluat, atque adeo hoc cum aceti acido tum fortiori, tum diluto, ut ex superioribus patet, idem praestante commune habeat, diuerfissimam tamen coaguli vtriusque soluti indolem esse aqua adsuſa docet, quae ex nitroſo acore illud deiicit, acero vero relinquit.

Solidas corporis fibras elasticas et cellulosas acida constringunt et corrugant, fossilia tamen longe fortius, quam vegetabilia; quinimmo ex DAVIDIS MACBRIDII<sup>p)</sup> experimentis in carne veruecina cum acoribus, vitriolico, muriatico, acetoso et limoniorum ad parem aciditatis gradum aqua dilutis et modico caloris gradu fotsis, constat, acida mineralia fibras carneas constipare et indurare, vegetabilia e contrario easdem potius emollire et relaxare; quocum effectu extra corpus obſeruato conuenit quoque tum illud, quod cum acido morboſo, vegetabilis originis, laxitas corporis totius perduret, tum et hoc, quod acida vegetabilia, ut medicamenta data, plerumque omnium excretionum libertatem conferuent quantitatemeque augeant. Scilicet, quoniā acidorum vegetabilium actio per corporis nostri succos viresque facile vinditur, accidit, quod et circa coagulantem virtutem locum habet, ut, quam ab initio vere praestabant, solidorum adſtrictio

non

<sup>n)</sup> *Acida vegetabilia magis sunt saponacea et abſtergant, quam ſpiritus vitrioli.* HVXHAM oper. physico-med. T. II. p. 148.

<sup>o)</sup> vid. MACQVER I. c. p. 352.

<sup>p)</sup> v. EIVS *Verſuche*. Zurich. 1766. 8. p. 126. 138. E.



non ita diuturna euadat, vtque ipsa allectis pluribus per modicum stimulum succis non tam primario, quam potius secundario effectu relaxent.

Manifestissimum vero efficacitatis discriminem in actione diversa, quam in neruos exercent, positum est. Auerasantur acoris sulphurei suffocantem, nitrosi mephiticum, muriatici teterimodum odorem nerui olfactoii; aceti spiramine contra reficiuntur. Vapor acoris sulphurei, nitrosi et muriatici ad animi usque deliquia molestus fieri solet, aceti contra halitus animo licetos efficacissime refocillat. Sapor dilutorum etiam acorum, quos commemorauit, fossiliuni aliquid ingrati in recessu habet, aceto e contrario, vt blandissimo ad palatum ciborum condimento utimur. Sentit pectus debile ingratis vini, sulphureo fumo ad fermentationem alteram arcendam impaegnati, spiritus porro nitri dulcificati adeo, salisque tum acidi tum dulcis, vt vt blandientibus syrupis remixti, irritacionem; aceto contra, inprimis dulcibus contemperato, a variis incommodis liberatur. Quamuis vero acidorum mineralium haec tenus spectatorum qualitates neruis molestae non insint acido vitriolico puro et inodoro, nihil tamen minus vim veram analepticam, qualis aceto verbi causa inest, tribuere ipsi nequaquam possumus. Tantum enim abest, vt neruorum sensum hebetem exacuat vitriolicum acidum, vt potius exsuperantem mobilitatem compescat neruisque nimium sensibili bus callum quasi quandam inducat<sup>2)</sup>. Itaque in illa debilitate febrentium neruosa, quam ab optime elaboratorum humorum defectu, sanguineque aquoso, tenui, phlegmatico et quasi inertii et vappido in laxis effeminatisque nostri seculi corpori-

2) V. ALB. DE HALLER opusc. parhol. in EIVSDEM oper. anat. argum. minor. T. III. Lauf. 1768. 4. p. 311. &c. obs. 79.

poribus tam frequenter offendimus, quamque, praeter accommodata nutrientia, neruinis cardiacis aggredimur, et si vt plurimum ab omni acido abstinemus, si tamen cuidam locus foret, vegetable potius adhibemus, quam vitriolicum; parum quidem tunc confisi ei virium resuscitationi, quam in putrida sanguinis resolutione hoc ipsum acidum mirificam praefstat, vt pote quae non ab analleptica eius acidi virtute, quam potius ab ea pendet, qua putridum corrigit resolutumque condensat.

Verum enimvero praeter ea, quibus, quam diuerso modo in succos, fibras neruosque corporis nostri operentur acida ex fossili plantarumque tribu oriunda, hucusque confirmauimus, insignis vtrorumque ratione virium medicatarum, quibus morbosas et nocuas machinae nostrae inhospitantes aut illatas aduersae valetudinis causas adoriuntur et expugnant, discriminis testimonia aequa locupletia atque evidencia supersunt. Nascitur aliquando ex abuso vegetabilium ace- scendentium et acidorum, in quibus euolutus iam acor est, cuius nimiam quantitatem vires ventriculi et intestinorum et efficacia bilis reliquorumque humorum digerentium coercere et corriger incasum laborant, vel ex vsu nimio farinosorum et dulcium, e quibus tectus acor fermentatione quadam euoluitur, quam languida relaxatarum fibrarum tubi cibarii musculosarum potentia tenuiorque et inertior bilis et succorum alimentis concoquendis inferuentium mixtio arcere nequit, acidum quoddam morbosum consistentiae liquidae et indolis fixoris aut indolis volatilis et consistentiae aeriformis, in quo vtroque compescendo quamuis aliquando acida vegetabilia, frigida in primis temperatura hausta, laudabilem exercere videntur efficacitatem, tantum tamen abest, vt plenarium auxilium

b

ferant



ferant, ut potius ad tempus exiguum modo prōsint, quinimmo suis ipsorum particulis morbifcae dispositioni nouos accessus maioraque parent acrementa, scilicet diuturnae satis et constanti partium solidarum corroborationi fluidarumque condensationi efficiendae imparia, quinimmo relaxationi et dissolutioni maiori deinceps inducendas idonea, sua insuper aciditate morboſo acido gemina, ipsius morbi fomitem materiemque augent. Mineralium e contrario acidorum atque in primis vitriolici, ceu omnium reliquorum optimi, longe alia hoc in casu est operandi ratio. — Nam primo sicuti ne vinoſi liquores in acescentem corruptionem tranſeant sulphuris accensi vapore acido, aut, admixta parua olei vitrioli<sup>7)</sup>, idem commodum sine sulphurei fumi incommodis praeflantis, quantitate cauetur: ita quoqe in nostri corporis primis viis acescentis fermentationis corruptionem arcerere suo modo ab ingestis modico vitriolici acidi vſu possumus; neque aliam ob causam ad expugnandum acorem tenuem morboſum elixit proprietatis PARACELSI et vitriolicum MYSICHTI, vtrunque illud quidem vitrioli ſpiritu acidulatum, adeo egregie conducere videtur. Rechte proinde etiam ad alui fluxus, ex nimio acido per fermentationem fructuum horaeorum iusto copiosius ingestorum ortos commendauit acida mineralia CL. SAMVEL FARR<sup>8)</sup> vtpote quibus aer elasticus, fermentatio-

ne

7) vid. FRIED. AVG. CARTHEVSERI *Abhandlung über die Verfälchungen der Weine*. Gieſen 1779. 8. p. 62. ff. ibi, testimonio HVMMELII (tract. de arthrit. tartarea et scorbut. p. 42.) vſus, confirmat vina adeo pendula olei vitrioli admixtione illlico refitui, immo ipsa acetata, ne in mucorem et coagulum abeat sic praefervari et ipsa vina dulcia, quae in Hollanda a fermentatione tueri et ita bibere moris est, nullo alio artificio melius in desiderato statu conseruari, quam admixto acido vitriolico, quod non tantum dulcedinem non imminuit, sed et auget.

8) *Essay of the medical virtues of acids*. Lond. 1769. 8. p. 128. ff.

ne euolutus, si non destruitur, certe redditur fixior. Deinde acida mineralia, fortiter et constanter adstringendo solidas corporis partes, non modo intra fibrarum relaxatarum cellulas repositos succos aquosos excutunt, sed coangustatis quoque vas, quoniam nimius tenuioris laticis, liquorum digerentium praefstantiam minuentis, affluxus fieri possit, impediunt, atque adeo laxitatem pariter tenuitatemque corrigendo, morbiscae dispositioni, quae acidi in primis viis euolutionem concedit, efficacissime resistunt.

Ad venenorum stupefacentium deleterias vires infringendas acida vegetabilia vtilissime propinari, vsus docuit; quo ipso magistro eruditus ad Cl. NAVIER obseruationem de symptomatis molestis ab hyoscyamo cum lactuca assumto ortis praeclare animaduertit doctissimus VANDERMONDE, in compescendo hyoscyami, belladonnae aliarumque plantarum soporiferarum effectu narcoticō vel interdum adeo letali multum omnino valere acetum, quo quidem plantae istae saepissime ita mutentur, vt earum vis non vterius nocua, sed anodyna tantum remaneat<sup>4)</sup>). Ad fungos quoque venenosos antidoton potentissimum praebere acetum<sup>5)</sup>) quinimmo succum citri, cremorem tartari omninoque omnia acida vegetabilia, largissima copia ingesta, aequa proficia esse ita quidem constat, vt quum omnium fere fungorum suspecta sit indoles, nonnisi vel ex aqua, cum aceto remixta coctos et deinceps abiecta coctionis primae aqua solito modo praeparatos, vel acidis potius vegetabilibus conditos, cum multo potu acidu-

b 2

lato

<sup>4)</sup> vid. recueil periodique d' Observations de Medicine, Chirurgie, Pharmacie etc. par Mr. VANDERMONDE T. IV. p. 113. ss.

<sup>5)</sup> vid. Cl. HATTE in Recueil periodique &c. T. III. p. 299. IOH. FRIES. GMELIN Abhandl. von giftrigen Gewächsen. Vlm 1775. 8. p. 38.



lato ingerere, tutissimum consultissimumque plerique recte arbitrentur.<sup>\*)</sup> Vires insuper aceti antidotas ad virus canis rabi<sup>i</sup>di<sup>2)</sup>, ad cuprea venena<sup>3)</sup>, et plumbea<sup>4)</sup> ad arsenicum de- nique, cui etiam limoniorum succus opponitur<sup>5)</sup>, succique acetosae ad ranunculaceum virus<sup>6)</sup> non sine insigni utilitate tentatas esse, in aprico est. Itaque iure promeretur acor ve- getabilis et maxime quidem acetum inter remedia venenorum atrocitatem debellantia locum quandam eminentiorem, ad quem adspirare posse, deficientibus experientiae suffragiis, ex acidis mineralibus nullum videtur. Quam enim in corrigen- dis venenis acribus lixiuosis exserunt mineralia acida, multa aqua diluta, virtutem, eam vero non praecipiua sed commu- nem habent cum vegetabilibus.

Ceterum et si ex hac tenus commemoratis satis abunde patet, quam insignis obtineat ratione virium medicatarum in- ter acida vegetabilia et mineralia diuersitas: in ea tamen, quae proxime recurret, libelli academicii similis conscribendi oportunitate eam quidem denuo in vtrorumque acidorum discriminē euincendo collocabo operam, vt, quod dicere re- stat, in plerisque casibus, vbi virtute eadem opem ferre pos- se viderentur, promiscue tamen dari non posse ostendam; vtque

<sup>\*)</sup> v. IOH. AVG. VNZERI medic. Handbuch. Leipz. 1776. 8. p. 368.

<sup>2)</sup> v. Comment de rebus in scient. nat. et med. To. ges. XI. p. 720.

<sup>3)</sup> v. CL. FABAS apud VANDERMONDE l. c. T. XVI. p. 552.

<sup>4)</sup> v. IOH. FRIEDR. GMELIN Allgem. Gesch. der mineral. Gifte. Nürnb. 1777. 8. p. 181.

<sup>5)</sup> IDEM l. c. p. 110.

<sup>6)</sup> vid. CAROL. KRAFF Experim. de nonnull. ranunc. venen. qual. Vien. 1776. 8. p. 102.

vtque ad amarae acrimoniae genera tollenda mineralia nunquam aequae conducere confirmem, atque vegetabilia.

His igitur nunc missis transeo potius ad commendationem publicam

VIRI

CLARISSIMI ATQUE NOBILISSIMI

IOANNIS FRIDERICI CHRISTIANI  
ISRAEL

LVCCAVIA LVSATIE

BVMMORVM IAM IN MEDICINA HONORVM CANDIDATE

qui stadium academicum, discendae medicinae destinatum, in hac vniuersitate literaria multo cum studio emensus, editis in examine theoretico atque practico ad VI. mens. Septembris a. c. cum ipso instituto legitimis doctrinae comparatae speciminiibus, consentiente Collegii nostri suffragatione dignus declaratus est, in quem summa, quam modeste a nobis petuit, in arte salutari dignitas conferretur. Quo melius vero appareat, quos labores sustinuerit, vt hoc eruditionis praemium honesto consequeretur modo: de rebus ad vitae inprimitisque studiorum ipsius cursum pertinentibus, quam nobis exhibuit, commemorationem breuem adiiciam.

**E**go, IOANNES FRIDERICVS CHRISTIANVS ISRAEL,  
natus sum Luccaniae in Lusatia inferiori, Anno hujus seculi,  
b 3 quin-

quinquagesimo octavo, die duodecimo Mensis Ianuarii, patre IOANNE GOTTLÖB, Medicinae Doctore et Practico, nec non Physico Provinciali, matre IOANNA CHRISTIANA SALOME, e gente THILIANA, cuius vero, praematura morte mihi eruptae, obitum admordum doleo atque lugeo, cuinsque cineres at ossa adhuc pia mente veneror. Patris itaque, quem adhuc superflitem esse vehementer laetor, pioque et obſtricto animo colam, et pro cuyus incolumitate ad Deum Ter Optimum Maximum, affiduo maxime ardentissimisque preces fundam, Patris inquam solius cura factum est, ut religionis omnisque generis humanarum literarum elementis instruerer, quod in primis industria Praeceptorum domesticorum impetraui. Quo facto Lyceum, quod Lucciae floret, frequentavi, et haud exiguos, ex eruditione atque doctrina Doctissimorum Virorum h. SCHMERBAUCHII t. t. Rectoris et WOLFI Conrectoris, percepi fructus, quorum memoriam obliuioni nunquam tradam. Literis itaque humanioribus imbutus, Anno 1778. die 12. Mensis Junij Vitebergam adii, et a Viro Excellentissimo IOANNE IACOBO EBERTO, tunc Rectore Magnifico, in numerum ciuium academicorum sum receptus. Ante omnia, Philosophiam, tanquam fundementum reliquarum scientiarum addiscendam putavi, et ab Excell. HILLERO totum Philosophiae cursum sum edocitus, Historiam naturalem, Physicamque tam theoreticam quam experimentalem egregie me docuit Excell. TITIUS. Cum vero animus mihi esset artem salutarem addiscendi, praelectionibus BÖHMERI Viri Magnifici,

fici, in Osteologiam, Physiologiam, Botanicam, Materiam medicam, Therapiam generalem et specialem atque Pharmaciā interfui, Eudemque in arte conferibendi formulas medicas inque exercitationibus disputationis fidissimum habui magistrum adeo, ut animi Ipsiſus erga me benevoli, patrociniique, quo me semper est dignatus, ad cineres usque deuenerandi, nunquam futurus esse possimi immemor. Experientissimus LEONHARDI Chemiam et Clinicam, seu Therapiam specialem, mihi exposuit, meque Physiologiam examinando docuit, cuius benignitatis benevolentiaeque erga me eximiae, per omnem vitam gratissima mentis pietate recordabor. Experientissimus NÜRNBERGERVS non modo enarravit mihi Pathologiam, Therapiam generalem, Meadii praecepta et monita medica, Chirurgiam, morbos venereos, doctrinamque de Herniis, verum etiam examinibus priuatis omnes Medicinae partes, mecum ita percurrit et repetit ut inde non parum commodi atque vilitatis reportarem. Vti vero Ipsi ob insignia erga me merita prae-primis multum debeo, ita nullam quoque occasionem praetermittam, qua animum erga Ipsum gratissimum patescere mihi continget. Exper. LANGGVTHIO in Anatomicis praelectionibus, Medicina forensi et arte obstetricia magistro usus sum. Nec silentio praeterreundi sunt VIRI MAGNIFICI ET EXPERIENTISSIMI nunc pie defuncli, nimurum b. Illustr. TRILLERVS, ex cuius colloquiis eruditissimus atque disputationibus uberrimos percepi fructus, cuiusque memoriam nullum tempus in me delebit, et b. LANGGVTHIVS, cuius praelectionibus Chirurgicis

non



*non sine commodo interfui, cuiusque recordatio mihi semper erit gratissima. Denique etiam PATRIBVS ACADEMIAE CONSCRIPTIS omnibus ac singulis multis ago habeoque gratias pro beneficio Vateriano, benigne in me collato, quo per quatuor annos in conuictorio electorali gratis sineque pretio consueto enutritus sum.*

Iam, vt, quos ambit Candidatus noster, supremos in arte medica honores legitimo modo moreque maiorum consequatur, defendenda adhuc publice est ab ipso contra dissentientes in auditorio maiori horis ante et post meridiem consuetis dissertatio inauguralis de *chemicorum instrumentis mechanicis, errorum et diffensu fontibus*, me ipso praefide. Dicta est huic solemnitati D. XIII. mens. Octobris. Cui, vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, CIVES QVE ACADEMIAE NOSTRAE GENEROSISSIMI atque NOBILISSIMI frequenter interesse velint, omnes ac singulos obseruantissimis et humanissimis precibus rogamus. P. P. Vitebergae Dominica XVII. post Festum S. S. Trinitat. A. O. R. cIcI CCLXXXIII.



Wittenberg, Dissy 1783-85

ULB Halle  
004 335 937



3

f

8.

KD18





7  
1783  
6-

FACVL TATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.  
DECANVS  
**JOHANNES GOTTFRIED  
LEONHARDI**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR PATHOL. ET CHI.  
RVRG. PROFESS. PVBL. ORDINAR. SOCIET. OECON.  
LIPSIENS. SODAL.

PANEGYRIN MEDICAM

AD XIII. MENS. OCTOBRIS A. C<sup>17</sup>83.

HABENDAM  
INDICIT  
ADIVNCTA

DE ACIDORVM MINERALIVM ET VEGETABILIVM INSIGNI  
RATIONE VIRIVM MEDICATARVM DISCRIMINE  
PROLVSIONE ALTERA.